

illos effectus est supernaturalis, proindeque a Dei voluntate, et potestate *comtaxat* pendet ¹.

ART. IX. De conatu *potentiis insito*

23. *Conatus* est illa naturalis proclivitas, quae in potentiis ad actiones suas exercendas inest. E. g., visus vi conatus ad videndum tendit ².

24. Prop. *Cunctis animae potentiis conatus inest.*

Probat. Quaevis res naturalis sponte, seu natura sua fertur ad assequendum finem sibi a Deo praestitutum. Atqui potentiae animae sunt quaedam res naturales, et finis earum proprie consistit in exercitatione actionum, ad quas ordinantur. Ergo in potentiis animae inclinatio admittenda est, qua ad exercendas actiones sibi consentaneas naturaliter feruntur. Atqui haec inclinatio ea est, quae nomine conatus designatur. Ergo dubitari non potest, quin conatus omnibus potentiis animae insit ³.

25. Praecipui effectus conatus hi sunt: 1° Quo maior est conatus facultatis, eo perfectior est actio, quae producitur; e. g., perfectior est intellectio, si maior sit intentio ad intelligendum ⁴. 2° Quo vehementiori conatu aliqua facultas exercetur, eo debiliores sunt actiones reliquarum; e. g., si visus fortissime intenditur, auditus non percipit ea, quae dicuntur. Cuius ratio ex eo desumenda est, quod una est vis, quam anima in diversis potentiis diverso modo intendit ⁵.

ART. X. De habitibus *potentiarum animae*

26. Conatus potentiam dumtaxat inclinat ad exerendum quemcumque actum sibi consentaneum. At vero quaedam qualitas etiam potentiis inhaeret, qua ipsae ad agendum potius uno, quam alio modo, sive bene, vel male aptae fiunt. Huiusmodi qualitas

¹ III, q. XI, a. 1 c. et *Qq. dispp.*, De Potent. Dei, q. I, a. 2 ad 1. Cf. s. Aug., De Gen. ad litt., lib. IX, c. 17, et 18.

² Dicitur etiam *appetitus naturalis vel intentio*, quia per ipsum potentia naturaliter tendit ad finem suum assequendum, qui in exercitatione operationum sibi propriarum consistit.

³ Cf. s. Aug., De Trin., lib. XI passim, et s. Thom., *Qq. dispp.*, De Ver., q. XXII, a. 1 c.

⁴ Cf. Scot., *Quodlib.* XV, n. 8.

⁵ Cf. s. Thom., *Qq. dispp.*, De Ver., q. XIII, a. 3 c.

habitus nuncupatur. Quare habitus, secundum s. Thomam, definitur potest, qualitas, qua potentia ad agendum bene, vel male, hoc est, *secundum convenientiam ad naturam*, vel *secundum disconvenientiam*, determinatur, sive inclinatur ¹. Quoniam vero potentiae animae ab hac inclinatione, sive bene, sive male se habeant, semper adiuvantur, et promoventur ad agendum, ideo habitus, aiente eodem sancto Doctore, videtur significare aliquid potentiae superadditum, quo perficitur ad suam operationem ². Unde habitus potentiam *completere* dicitur ³, quia haec ope habitus sit *completae* operationis principium.

27. Si habituum origo spectetur, ipsi in *naturales*, et *adquisitos* distinguuntur. *Habitus* adquisitus est, qui « ex multiplicatis actibus generatur ⁴ ». *Habitus* autem naturalis « est, qui datur in creatione ⁵ ». Huiusmodi, e. g., est habitus, quo intellectus ad prima principia cognoscenda disponitur ⁶. Quia in re adnotandum est in habitu naturali naturalem esse inclinationem, qua potentia comparata est, ut actum complete perficiat, at non ipsius habitus exercitationem, haec enim ab aliquo exteriori principio pendet ⁷. Ita per habitum, quem loco exempli paulo

¹ 1^a 2^{ae}, q. XLIX, a. 4 c., et ad 3.

² *Qq. dispp.*, De Ver., q. XX, a. 2 c.

³ 1^a 2^{ae}, q. L, a. 2 ad 3. Plerique recentes Philosophi, inter quos Genuensis (*Metaph.*, Pars altera, prop. XLVIII), tuentur habitus ab ipsis potentiis, quibus inhaerent, non distingui, atque illos in facilitate actionem producendi consistere docent. At a vero longe aberrant. Etenim habitus, uti ex iam dictis constat, « supervenit potentiae, sicut perfectio perfectibili » (*In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 1 sol.); ac proinde habitus a potentia, quam afficiunt, realiter distinguuntur, aequae ac perfectio re ipsa distinguitur a perfectibili, cui inhaeret. Hoc confirmatur ex eo, quod effectus aliter ad potentiam in se, sive absolute, aliter ad potentiam una cum habitu spectatam refertur, nam per potentiam actum simpliciter, per habitum vero illum bene, aut male exerere possumus. Facilitas autem, sive habitus agendi habitum non constituit, sed illius effectus, aut proprietas est, siquidem habitus est quaedam qualitas potentiae inhaerens, ex qua illa habitus exoritur.

⁴ 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 2 c.

⁵ *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. III, a. 2 ad 1.

⁶ Hic habitus ab Aquinate vocatur *intellectus principiorum*; 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 2 c.

⁷ Hinc s. Thomas docet habitus esse naturales dumtaxat *secundum inchoationem naturalem*; 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 1 c. Genuensis (*ibid.*), Garnierius (*Traité des facultés etc.*, lib. III, c. 1, § 4, et lib. V, c. 5, § 2, et 4), Fran-

ante adduximus, intellectus non potest statim cognoscere principia, e. g., totum esse maius sua parte, nisi terminos, ex quibus ipsa constituuntur, prius cognoscet.

28. At vero habitus potest alia significatione dici *naturalis*, scilicet prout vim facultatis, et modum operandi ipsi naturalem non excedit. Si habitus hac ratione naturalis est, ab illa specie habitus distinguitur, qui *infusus* appellatur.

29. Habitus *infusus* ille est, qui vel facultatem humanae naturae excedit, cuiusmodi sunt Fides, Spes, et Charitas, vel, etsi naturali virtute aliqua ratione acquiri possit, tamen ex immediata Divina actione sine naturali principio obtinetur. E. g., Deus « Apostolis dedit scientiam Scripturarum, et omnium linguarum, quam homines per studium, vel consuetudinem acquirere possunt, licet non ita perfecte ¹ ».

30. Quod si habitus considerentur relati ad potentias, quibus insunt, in *intellectuales* et *morales* dividuntur, prout pertinent vel ad intellectum, uti *scientia*, vel ad voluntatem, uti *temperantia*. Cuius divisionis ratio haec est. Illae potentiae indigent habitu, quae *diversimode possunt ordinari ad agendum* ²; quia, cum huiusmodi potentiae ex sui natura ad determinatam, sive *completam* operationem ordinem non habeant, non nisi per habitum evadunt potentiae *completae* ³. Atqui potentiae, quae *diversimode ordinantur ad agendum*, ut suo loco dicemus, non nisi intellectus, et voluntas sunt. Ergo istis potentiis dumtaxat habitus inhaerent ⁴; ceterae autem potentiae, quippe quae ex seipsis sunt determinatae ad unum, habitibus non indigent ⁵.

kius (*Dict. phil.*, art. *Habitude*) alique permulti nuperi exercitationem habitus, quae, ut diximus, aliquod exterius principium ex postulat, dumtaxat inspexerunt, ac proinde in eo errore versati sunt, ut omnes habitus adquisitos esse dixerint.

¹ 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 4 c. — 2 1^a 2^{ae}, q. L, a. 5 c.

³ *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. III, a. 2 sol.

⁴ 1^a 2^{ae}, q. L, a. 4 et 5. Intellectus, qui habitu indiget, est intellectus, qui dicitur *possibilis*, non vero intellectus *agens*, quia hic, ut suo loco dicemus, determinatam actionem habet. Item, habitu non indiget voluntas, prout est naturaliter determinata ad ultimum finem, sive ad obiectum sibi adaequatum. Cf s. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 sol., et *Qq. dispp.*, De Ver., q. XX, a. 2 ad 5.

⁵ *In lib. III Sent.*, loc. cit. Ex hac argumentatione intelligitur a vero aberrare Maine de Biran (*Influence de l'habitude sur la pensée*), aliosque,

31. Denique praecipui habituum effectus hi sunt: 1° Habitus efficit, ut in operationibus potentiarum, quibus inhaerent, sit *uniformitas* ¹, hoc est, ut constanter eodem modo exercentur. E. g., voluntas, si habitu *virtutis* polleat, illud, quod regulis morum consentaneum est, constanter eligit ².

2° Habitus, cum in quadam propensione ad agendum consistat, efficit ut operationes « in promptu habeantur, et faciliter exercentur ³ ».

3° Denique, « per habitum fit, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur ⁴ »; sive habitus « operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem, nam convenientia est delectationis causa ⁵ ».

CAPVT II.

De facultate vegetativa

ART. I. De natura, et operationibus huius facultatis

32. Facultas vegetativa, « non agit, nisi in corpus, cui anima unitur ⁶ », atque definitur, *illud principium, quo corpus vivens per animam nutritur, augetur, et propagatur*. Quare tres, ut diximus ⁷, complectitur facultates, nimirum, *nutritivam, augmen-*

qui habitus non tantum intellectui, et voluntati, sed ceteris facultatibus animae, immo corpori nostro convenire docent. Illud tantum iis concedendum est, quod potentiae sensitivae, si spectentur non quatenus ex instinctu naturae operantur, sed quatenus operantur ex imperio rationis, ad diversa ordinari possunt, ac proinde habituum, quibus bene, aut male ad aliquid disponuntur, sunt capaces (cf s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. L, a. 3 c.). Item, habitus non nisi *secundario* possunt corpori attribui, « in quantum scilicet corpus disponitur, et habilitatur ad prompte deserviendum operationibus animae »; *ibid.*, a. 1 c.

¹ *Qq. dispp.*, De Virtut., q. I, a. 1 c.

² Hanc ob rationem habitus dicitur *altera natura* (1^a 2^{ae}, q. LXXVIII, a. 2 c.), nam, sicut natura uniformiter operatur, ita per habitum fit, ut illa potentia, quae ad hoc, aut illo modo operandum indifferens est, determinetur ad suos actus simili ratione exerendos. At vero, ut s. Thomas observavit, id accipiendum est hoc sensu, quod potentia per habitum ad simili modo agendum inclinet, non autem quod ad non aliter agendum cogatur; *In lib. III Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 5 ad 5. Cf *Qq. dispp.*, De Virtut., q. et a. cit. ad 11.

³ *Qq. dispp.*, De Virtut., *ibid.* — ⁴ *Ibid.* — ⁵ *Ibid.*

⁶ 1, q. LXXVIII, a. 1 c. — ⁷ P. 101.

tativam, et generativam. « Vegetativum, inquit Doctor noster, habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam; ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat: et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem: et ad hoc ordinatur vis augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvatur et in esse, et in quantitate debita: et ad hoc ordinatur vis nutritiva ¹ ».

33. Facultas nutritiva est *illa vis, qua vivens alimentum in sui substantiam convertit*, eiusque operatio est *conversio alimenti in substantiam aliti*. Cum facultate nutritiva recte connectitur facultas *augmentativa*, quia augmentatio sine nutritione existere nequit. Iam facultas augmentativa definitur *illa vis, qua vivens maiorem quantitatem ex alimento assequitur*; unde eius operatio, nempe augmentatio, sive accretio dicitur *acquisitio maioris quantitatis*, vel, si magis lubet, *actus vitalis a minori quantitate ad maiorem*.

34. Facultates nutriendi, et augendi facultas generandi consequitur, quippe quod ex eo, quod vivens nutritur, et iustam sui molem acquirit, ad producendum sibi simile idoneum efficitur. Facultas generativa, prout ad viventia, de quibus agimus, restringitur, est *illa vis, qua vivens producit aliud vivens eiusdem naturae, et quodammodo sibi coniunctum*. Hanc definitionem derivavimus a celebri illa definitione generationis, quae post s. Thomam ² ab omnibus Theologis, et Philosophis catholicis traditur, nempe, *Origo alicuius a principio vivente coniuncto secundum similitudinem naturae*. Ex his verbis intelligitur triplicem esse conditionem generationis. Prima est, ut id, quod oritur, sit ex substantia producentis; altera, ut sit simile naturae, seu substantia; tertia, ut sit coniunctum principium, a quo producitur. Prima conditio requiritur, ut generatio cum a *creatione*, tum ab *effectione* distinguatur. Nam illud, quod creatur, nempe quod ex nihilo fit, aut illud, quod efficitur, nempe quod educitur ex materia secundum accidens immutata, non manat ex substantia creantis, aut efficientis, sed extrinsecus oritur. Contra eam, id, quod gignitur, ex substantia gignentis manat, quia oritur per semen e substantia gignentis decisum ³. Altera

¹ I, q. LXXVIII, a. 2 c. — ² I, q. XXVIII, a. 2 c.

² Hinc mundus dicitur a Deo *creatus*, non *genitus*, quia Deus eum ex ni-

conditio ex prima fluit, quia si id, quod gignitur, ex substantia gignentis emanat, necesse est ut genitum cum gignente conveniat secundum naturam. Tertia denique conditio necessaria est, ut generatio viventium a generatione expertium vitae, de qua in *Cosmologia* sermo fiet, distinguatur; siquidem in generatione expertium vitae, « ab illis, ut verbis Pelavii loquamur, non aliter emanat, ac gignitur aliud, quam actione unius in alterum. Sic enim ignis ignem generat, dum admotam materiam calore, siccitateque sua extrinsecus afficit, et immutat ⁴ »; in viventibus autem, generationis principium est pars substantiae generantis, quae ab ea transfunditur, et coniungitur cum genito, immo fit ipsummet genitum.

ART. II. Vitae vegetativae definitio traditur

35. Generalis notio vitae, quemadmodum diximus ², in eo posita est, quod operatio, quaecumque illa sit, a principio insito operanti proficiscitur ³. Quod autem specialim attinet ad vitam *vegetativam*, ipsa, quemadmodum ex iis, quae in praecedenti articulo diximus, facile conficitur, accommode definiri potest: *Principium, quo substantia sese nutrit, auget, et propagat*. Tria verba, quae hac definitione continentur, tres operationes vitales, quas explicuimus, significant, et pronomen *sese* cum ipsis coniunctum denotat tres illas operationes ab ipsa substantia promanare.

36. Quod si quis unica operatione, quemadmodum nonnullis nuperis visum est, definitionem absolvendam censeat, certe haec non alia, sapienter monente s. Thoma ⁴, esse potest, quam ge-

ere que dicitur formari
hilo, non ex substantia sui eduxit: atque homo dicitur domum *facere*, non *gignere*, quemadmodum idem dicitur gignere filium.

¹ Theolog. Dogmat., de Trinit., lib. V, c. 8, § 8. — ² P. 95.

³ Hinc, ut egregie argumentatur s. Thomas, quo magis operatio in intimis continetur, eo altior est gradus vitae. Quoniam vero « quanto natura est altior, tanto id, quod ab ea emanat, est intimum », consequitur gradum vitae, quae est secundum animam sensitivam, esse altiozem, quam in plantis, sed imperfectiorem illo, qui est secundum intellectum, imo in ipsa intellectuali vita diversos gradus inveniri, ita ut perfectior sit vita intellectualis in Angelis, quam in intellectu humano, et ultima perfectio vitae non nisi Deo competat, « in quo non est aliud intelligere, et aliud esse »; *Contr. Gen.*, lib. IV, c. 41.

⁴ In lib. II De Anim., lect. VI.

neratio. Etenim generatio ceteris operationibus vitalibus natura sua antecellit, quia maxima perfectio entis est posse aliud sibi simile producere¹, et insuper, cum vivens nequeat sibi simile gignere, nisi nutriatur, et augetur, generatio est ultima operatio, cui aliae duae deserviunt, ac proinde ipsas quodam modo in se complectitur. Quare nos a Georgio Cuvierio dissentimus, qui vitam ex nutritione definivit². Certe nutritio est prima operatio, quae in vivente apparet. At exinde illud dumtaxat consequitur, vitam a nobis nutritioni attribui, non vero ex nutritione notionem vitae tradendam esse; siquidem nutritio, cum sit operatio vitalis ceteris imperfectior, nullam harum complectitur.

ART. III. *Investigatur, utrum operationes vitales in homine sint rationales, an naturales*

37. Hic veluti exploratum, certumque sumentes illud, quod a libi demonstrabimus, nempe principium, a quo operationes vitales oriuntur, esse animam, atque in homine huiusmodi principium esse eandem animam rationalem, investigamus utrum, nec ne admitti possit Perraultii³, Sthalii⁴, aliorumque sententiam, qui Scaligeri⁵ vestigiis insistentes, animam rationalem per rationem, et voluntatem cunctas operationes vitales corporis producere opinati sunt.

38. Prop. *Operationes vitales hominis non sunt rationales, sed naturales, hoc est, similes operationibus rerum omnis cognitionis expertium.*

Probatur. Etsi, ut suo loco videbimus, anima, quae informat corpus humanum, sit rationalis, tamen non largitur corpori esse suum, prout est rationalis⁶, sed esse naturae vegetantis, quam in se continet. Atqui operationes, quas anima in corpore edit, consentaneae esse debent naturae *τὸν esse*, quod ipsa anima corpori largitur. Ergo illae operationes debent esse tales, quales sunt operationes vegetabilium, ac proinde similes operationibus rerum omnis cognitionis expertium⁷.

¹ I, q. LXXVIII, a. 2 c. — ² *Le regne animal*, Introd.

³ *Essai de physique, Des sens extérieurs*, vol. IV.

⁴ *Theor. medica vera, Physiol.*, sect. VI.

⁵ *Exoticarum exercitationum liber de subtilitate ad Hieron. Cardanum*, Exercit. 307, n. 3. — ⁶ *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 9 ad 11.

⁷ *Op. cit.*, ibid. ad 6. Hoc certe sibi voluit s. Basilius, cum dixit ani-

39. Idem argumentum ita etiam exhiberi potest: Homo per animam rationalem, quae est eius forma substantialis, *habet esse substantialiter, per virtutem animae, quae consequitur formam substantialem, operatur*¹; quocirca operationes vitales corporis rationales forent, si anima rationalis vim suam intelligendi cum corpore communicaret. Atqui anima non communicat vim suam intelligendi cum corpore. Ergo operationes vitales non sunt rationales.

40. Obiic. Omnes operationes animae sunt cogitationes. Ergo operationes vitales, cum sint operationes animae, cogitationes sunt, ac proinde cum ratione fiunt.

41. Resp., *neg. ant.* Re quidem vera, nomen cogitationis, quoad latissime sumatur, non alias operationes animae significare potest, quam quae circa cognitionem versantur²; operationes autem vitales ad cognitionem nullo modo spectant.

CAPVT. III.

De facultate sentiendi

ART. I. *Quaedam notiones praestituuntur*

42. Facultas sentiendi illa est, per quam anima unita corpori res materiales, quatenus materiales sunt, percipit. Haec facultas complectitur *sensus externos*, et *internos*. Externi, quorum actus *sensatio* nuncupatur, ex eo nomen sumunt, quod versantur circa res exteriores, hoc est, circa res, quae ipsis extrinsecus obiciuntur. Sensus autem interni hoc nomine donantur, quia spectant res sensiles, quae animam per sensus exteriores ingressae sunt.

43. Iam sensus utriusque generis non in anima sola, sed in anima simul, et corpore existunt, ac proinde ad actiones suas exercendas indigent quibusdam partibus corporis peculiari quadam structura donatis. Hae partes *organa*, nempe instrumenta dicta sunt, quia inserviunt animae ad actiones sensiles exercendas. Organa sensuum interiorum in internis partibus corporis, et organa exteriorum in diversis partibus superficiei illius resident. Sensuum autem exteriorum organum, quod odoratui in-

mam corpori vitam impertiri *supte natura*, non vero voluntate; *Constitutiones Monasticae*, c. 2, n. 2.

¹ I, q. LXXVII, a. 1 ad 3.

² Cf s. Thom., 2^a 2^{ae}, q. CLXXX, a. 3 ad 1.